Crac. Stud. Univ. Jag.
Promotiones Phil. Ord. ... 7

1645 2

Dziedzic Joannis: Horizon academicus.

HORIZON ACADEMICVS

Candidatis ſyderibus primâ Artium & Philoſophiæ laureâ inſigniendis,

PRÆSIDENTE REVERENDO D.

D. IOANNE CYNERSKI RACHTAMOVIO

Collega Maiore, Phil: Facult. & S. ANNÆ Decano

Refulgens,

DVM

Per Excellen: ac Doctiſsimum Dñum,

M. IACOBVM SVSKI,

Phil. Doct. Collegam Minorem,

Publicè, rituq; ſolenni in Cælo Iagelloniano illuſtrarentur,

A IOANNE DZIEDZIC eiuſdem Laureæ Candidato, Iuuenilis ingenij Dioptrice Deprehenſus

Anno Reſtauratæ ſalutis


MorDeat enatos Carpens eX Lege ſVrente

Mores Dente, proCaX, tangat & ore, LoqVens.

1645

Ex Catthal. V. Sebastiani Kalinski

In Arma Gentilitia Antiquissimæ DOMVS.



En niveis, Dictynna Crucem fert roscida bigis;
Luciferique citis Cynthia currit equis.
Luna, Crucis lumen sumit, Tithonia Lunæ:
Sic Phœbe Veneris, Crux vtriusq́ parens.
Nobilis ergo Domus retines dum lumina cæli,
Præsis Sarmatiæ, lumine conspicuo.

Hyacinthus Thomaszowic
Stud. Gramm.

ILLVSTRISSIMIS
Ac Magnificis Dominis

D. DEMETRIO GEORGIO,
ET
CONSTANTINO CHRISTOPHORO KORYBVTH,
Ducibus in Wiśniowiec.

Salutem & omnem fælicitatem.

NON miremini Duces Illustrissimi, quod inopinato quodam euentu, nec vllis meritorum innixus argumentis, obductum, quodam ignorantiæ ingenij mei colore Horizontem, ad Vos duxerim dirigendum. Etenim dum signa non deessent, in quibus solis, clarissimus splendor suas fundaret mãsiones, naturæ suasu ad illuminandum capacitatem Solis, & Horizontis dirigendas vices, fuit mihi diligentia illustrior excitanda. Verùm dum mentem recolligerem, animumq; diuturnâ & metus, & verecundiæ perturbatũ affectione reflecterem, similitudinarium mei Horizontis ad cæleste instituisse negotium, & nisi ob certas influentias, Ven: DD. Candidatis, quasdam attribuisse proprietates in animum induxi. Declinarem enim procul dubio à difficillimi consilij regimine, si dissimilis rationis solem conquisiuissem, & terrestri meo Horizonti, non nisi cælestis luminis splendorem attribuissem. Vester splendor gloriæ, Duces Illustrissimi, cum sit longè illustrior, quàm solis (Virtutum enim, resplendet immortalem nominis celebritatem spargentibus radijs:) Proinde Vestrum iuuamen Duces Illustrissimi meus Horizon requirit: vt dum præclare Vestræ Pro

sapiæ

ſapiæ ſplendidiſsimis radijs totum Sarmatiæ regnum non, cum Poloniæ modò, ſed omnium gentium ſtupore illuſtre ſit, totoq́ orbis vaſtiſsimi ambitu latius Veſtrum immortale nomen, ſuum extendat imperium: vnicum ſaltem radium coruſcantis Veſtræ auræ, ad illuſtrandum meum Horizontem, concedere velitis. Etenim & Academiæ gremium, in quo interea temporis nutrimini, & Academicorum amor, quem experimini, & meorum obſequiorum propenſum erga Vos ſtudium, id à Vobis luculentiſsimis argumentis videtur vendicare. Quapropter hoc nimis exiguum, & depropero impetu effuſum lucubrationis ſymbolū, & meritorum meorum primò ad Vos inſtitutum obſequium; quod Concandidatorum meorum ingenium, & virtutes circumfert peramæno animo, & ſerenâ fronte acceptare non dedignemini: Horizontem Academicum Veſtro Virtutum ſplendore illuſtrare non recuſetis; meq́ licet antea minimé Vobis notum, ab hoc primæuo laboris mei ſtudio fauore & amore veſtro fouere non dubitetis maiorem in modum oro. Datum ex meo muſæo 4. Aprilis A. D. 1645.

Veſtr: Illuſtriſsimarum Dominationum.
Humillimus ſeruus
& ad obſequia promptiſsimus.

IOANNES DZIEDZIC,

primæ Laureæ Candidatus.

EPOS

EPOS INVOCATIVVM.

--- *Aderitq; vocatus Apollo.* 4. Ænei.

Occine dulce melos citharæ resonantis Apollo:
Æmonias perstringe lyras, & percute plectris.
Vandalides Musæ properent Heliconis ab alto
Culmine, lauriferi præconia ferre triumphi.
Iam Cytherea Venus, iam Nymphæ ducite festas,
Tinnula chorda sonet plectro modulante, choreas.
Alternis pedibus terram quatiatis amænæ,
Barbiton & pangat niueum cygnæus Arion.
Non roseus fessos in gurgite Phæbus Ibero
Tingat equos: sed flammigero temone coruscans
Viset Zodiaci sacrata palatia nostri.
Tuq; sagitti feri iam bis Soror aurea fratris,
Adsis ô tandem rapidis Latonia bigis:
Suspice cælestis montosa cacumina dorsi.

Vôs vos Pegasidum comites Acheloidas orô
Iusta laboriferæ detis suffragia nobis;
Cedite vel potius ludibria vana vetusti
Orbis, in excelsas nemorum decedite cautes.
Cantius en nobis est diuus Apollo Ioannes.
Et studij Pallas, Mater formosa Tonantis.
Huc ades ô Virgo prudens, huc noster Apollo
Ingredere, & sacrata velis inuisere tecta.

V. D. VLADISLAO WOIENSKI.

Fortes creantur fortibus & bonis. L. 4. O. 4. Hor.

PEruolat in curru rutilantia sydera Phæbus
  Omnimouens patulo splendet in orbe iubar.
Splendet in orbe iubar nitidum, visitq; coruscá
  Astra per obliqui semina Zodiaci.
Corniger in cælis Aries subiecta recuruat.
  Cornua flammiferis colla reponit equis
Ingenium subdis Musis tolerasq; labores,
  Quòd tu peruigiles, noxque diesq; probat.
Luceat in studijs tua mens, vt in ordine luces;
  Docta monet Mater, doctus & ipse Parens.
Semper in orbe Lechi claros imitare parentes:
  Sis celebris, clarus, promptus in arte Sophus.

CHRO.

CHRONOSTICHON.

Mater habet natos, DoCtos eXoLVere tentat
Metra DoCet teneros teXere noſtra LVbens.

V. D. HIERONYMO CONRAD.

Generoſos animos labor nutrit. Sen. Ep 1.

Lurida nunc redeunt muſcoſis gramina buſtis,
Gignit odoratas terra benigna roſas.
Floricomi mittunt herbas de montibus horti,
Et mollis folij perſtrepit aura comis.
Dura per herboſos agros ceruice iuuenci
Ecce laboriferi ſemper aratra ferunt.
Frondiferas noſces auibus nigreſcere ſyluas,
Nec vitare boues grande laboris onus.
Non fugis hoc & tu, ſed multò grandius optas
Munus onuſq; humeris inde ſubire tuis.
Ergo ſubire velis: referes nam digna labore
Præmia; non iterum iam metuendus erit.

CHRONOSTICHON.

non Mora DeCernat praXes, aſt LaVs [redacted]
Mors DeCreta negat neXa Labore tVo.

bona notas.

V. D. SAMVELI FORMANKOWIC.

Nunquã aliud natura, aliud ſapientia dicit

Iuuen: Sat: 14.

CRiniger aſtrigeris inter tot ſydera Titan,
 Gorgonis inuiſæ, candida fertur equis.
Tyndaridas fratres Phæbæâ luce ſalutans,
 Stellantis refugo viſit in orbe poli.
Viſit in orbe poli, geminato lumine replet,
 Tum loca Ledæis ſorte dicata Deis.
Replet & ingenuos ſolers prudentia mores,
 Dum vigilas omni nocte dieq;, tuos.
Dædala te fecit natura, Minerua refecit
 Doctus es? Huic tribuas. Pulcher at? Iſta dedit.
Moribus egregius viuas, ſed doctus in arte:
 Hoc laus conſequitur; vita beata prius.

CHRONOSTICHON.

MorsnonDeproperetCaptare feroX ope LaVros:
 ſeMperaDaCta tenaX LaVrea Serta tene.

V. D. ALEXANDRO IRASZEWSKI.

[redacted] *dignificantur honore.* Ariſt: 4. Ethic.

ALiger extremas percurrit Pegaſus oras
 Sic: Hyperionium dum Phaëtonta rapit,

Currit

Currit & attingit Lernæi brachia Cancri:
Retrogradoq́; iterum cogitur ire pede.
Signiferam ſuperat ſolus iam carcinus ardens
Zonam, nec patitur ſubdere colla iugo.
Subdere colla iugo non tu generoſus inerti
Sublimis rerum niteris eſſe ſophus.
Nitere per cunctos Heliconis currere montes;
Nobiiis vt reddas ſtemmata laude tua,
Nobilitas generis ſummos licet addit honores
Laurea ſed maior nobilitatis honos.

CHRONOSTICHON.

Mars DeCorat fortes eXoLVet terra potentes,
Morta Dat & Cyathos paX reLeVare poteſt.

V. D. IOANNI BLAŻKIEWIC.

Virtus nullo tempore relinquenda eſt. Cicero.

PHæbus in ætherea recubat dum fronte leonis
Et vehitur plauſtro; fortia fortis agit.
Ore vomit flammas, & luce refulget honorâ:
Feſſaque iucundo membra calore leuat.
Tollit odoriferos flores per prata per agros:
Sed fructus dulcis cuncta rependet ope.

Hoc tibi nunc ſtudij præſes Tritonia Virgo
Reddit, & ætatis damna rependet honos.
Damna rependet honos claræ virtutis alumnus,
Soluit & amiſſos Laurea prima dies
Longa quod anguſtæ dederant tibi tēpora vitæ,
Omnia nunc penſat non popularis honor.

CHRONOSTICHON.

Mane repenDe preCes, eXaLtes orbe ſVpernas
Mentes: DeCerptas eXoLet aVra roſas.

V. D. PAVLO MAMROWICZ.

Diligentiæ omnia ſubdîta fiunt. Menander.

Cynthius in ſancta ſi quando locum dat Apollo
Virgine, purpureis ſolis euntis equis:
Carbaſeo renitens Phæbus ſplendore coruſcat
Lumine perluſtrat ſubdita cuncta ſibi.
Viſit in vmbriferis, quis fructus, quis labor, hortis,
Vel ſumendus erit, vel capiendus erat:
Contrahit & niueos humeros & eburnea colla,
Nè calor impediat contegit arua comis.
Contegis irriguos & Tu Tritonidis hortos
Dum figis curas æger in arte tuas.
Excubias adhibes vigilans ne fortè ſciendi
Doctrinæ rapiat, ſæua Tyrannis opes.

CHRONOSTICHON.

Mente DeCet teneros eXL abe abstergere fætVs
MenDâ ne sCateat praXeLVes regeras.

V. D. BENEDICTO KRVPASZYNSKI.

Beatus esse sine virtute nemo potest. Cicero.

PEndula frugiferum solis dum sustinet orbem
Libra: per æquales dissecat æqua dies.
Tempus ab excelso veniens, similesque recondit,
Mundi cœlestis noxq; diesq; plagas.
Lance tenet motus per lancem tempora currunt,
Noxq; diesq; suum lance resoluit opus.
Lance resoluis opus semper rationis acutæ,
Lanceq; componis tu Benedicte tuum.
Nam bona virtutum comitaris, & illa vicissim,
(Dum fugis & sequeris) te comitata vides.
Prosperet ergo tuos æternus Iuppiter ausus,
Cum bonus esse voles, tum Benedictus eris.

CHRONOSTICHON.

Magna Deo Cantes, grates eXoLVe perennes,
Nam Dare Certa potest reX bona LargVs ope.

V. D.

V. D. NICOLAO DYXAN.

Longa dies acuit mortalia corda C. Manilius.

BRuma fit, & pluuio contristat frigore cælum,
Scorpius ardentes cùm tenet acer equos.
Et ponunt frondes hyemali frigore syluæ,
Molles decedunt, arboribusque comæ.
Redditur incandens illis reuirentibus æstas,
Vt maior redeat fructus ab arboribus.
Clara tui studij (credas) monumenta redibunt,
Fertilis ingenij pinguia si arua coles.
Longa ferent longos ex longis artibus vsus
Tempora, non longis conspicienda moris.
Afferat ergo tibi fructum progressus in arte,
Progressus fructu sit tamen ipse prior.

CHRONOSTICHON.

non ManData noCent, noXas ne sperne soLVtas,
NaM De præCepto neX LaqVeata tonat.

V. D. IOANNI TYMOWSKI.

Vincere se ipsum omnium victoriarum est prima & optima. Plato de Legibus.

LEthiferas quoties placeat vibrare sagittas,
Nimbisonasq; Ioui ex Falcitenente Patre.

Assu-

Aſſumit toties cæli per culmina clarum,
Gnoſsiacis iaculis alta ſagittiferum.
Spicula proijciens imbutaq́; tela veneno,
Nec non vipereo lurida felle gerit.
Lurida tela gerit victrix ſapientia ſortis,
Per te cum ſtudij ſemper inerte fera.
Vincat in inuincto violentum belliger hoſtem,
Pallas, & æternùm clara trophæa ferat.
Vt tu ſis victor, victrix ſapientia tecum,
Tunc tibi ſit vitæ maxima cura bonæ.

CHRONOSTICHON.

MenDaCes pænas, eXoLVent ſorte gehennæ:
Aſtra Manent DoCtos, aXea LVſtra ſophos.

V. D. NICOLAO MICHALOWSKI.

Abdita quid prodeſt, generoſi vena metalli ſi cultore caret. Ouid.

Hiſpida barbigeri, replicat dum ſol capricorni
Limina, dumque rubens fundit ab ore iubar:
Arbitrio propius, volucrum raptatur equorum:
Noſtraque præproperè, regna relicta petit.
Surgit ab extremis, ſinuoſi partibus orbis,
Et deſerta replet, ſæpe calore loca.

Tollit & igniferos currus, è gurgite magno:
Et magis in tenebris, lumina clara micant.
Lumina clara nitent, progressus, arsq; refulget,
Solers ambrosiis irradiata comis.
Clara manere potest, modo sit clarus labor iste,
Quem cuncti tecum, rite subire student.

CHRONOSTICHON.

Ferto Moderna CapaX poLVs æthera sorte teneto
NaM Dos saCra feraX, LaVrea serta parat.

V. D. ALEXANDERO RADWANSKI.

Viret vndique Laurus Pendula Mant:

O cui Pegasidum, licuit lustrare cohortem:
Et primâ lauri, cingere fronde comas.
Si sapis, eximio laurum venerator honore:
Nilquè tibi maius, semper adesse putes.
Horrida, non illam perfringet frigore bruma:
Non æstas dirimet fulta caloris ope.
Syluifragi vēti procul hinc, procul inde recedunt,
Zona nec Australis, seu Aquilone premit.
Non cadit occiduæ, per iter decliue senectæ:
Tempore Parnassis, laurus vtroque viret.

Tu quo-

Tu quoquè contextas, ex lauris ſume coronas
Laurifer, in cunctos arte vireto dies.

CHRONOSTICHON.

Mæna Dapes, Ceſſent, panes eXpLēt bene Ventres
non Menſas DeCoret, greX tener, aLtVs aper.

V. D. IOANNI DZIEDZIC.

Primæ Laureæ Candidato Amoris ergo.

IOANNES BŁASZKIEWIC.

Qvid video Iagelona cohors? qui dexter olympo
Muſarum, dulci carmine ephebus adeſt?
Aonio quiſnam deducit vertice Muſas?
Ingenio cuius doctus Apollo fauet?
Siſto gradum: noua conſpicio penetralia gentis
Sarmaticæ: ſenſim è quèis venit iſtud opus.
Suſpicio: nouus an penetralia viſit Arion
Orpheus an viſit clarus vterq; lyrâ?
Is delphina ſui traxit dulcedine cantus,
Dulcicanente chely traxit at iſte petras.

Desine mirari mihi sic ait Oedipus: orbi
Sarmatico Amphion, Deucalionq; redit.
Grata serenato ducit ver tempora cursu
Musarum poterit iam nouus esse chorus.
Huc tamẽ ista frequens (quæro) cur turba recurrit?
Laurigerum (dicit) sentio adesse ducem.
Carmine Laurigero quisquam fors astra notauit
Stellifer vt fiat iam modo terra polus.
Construit ergo alijs stellatos quisquis honores
Stellatas lauro debet habere comas.

APOSTROPHE.

AD

V. D. IOANNEM DZIEDZIC.

Primæ Laureæ Candidatum.

Beneuolentiæ ergo.

A

BENEDICTO KRVPASZYNSKI.

Concinnata.

ODE

DICOLOS TETRASTROPHOS.

Artium custos studijque præses
Te velit tales iterare gressus

Vt ti-

Vt tibi triſtes Libitina nolit
Promere leſſos.
Celſa doctrinæ generiſquè clara
Per poli flexos ſpatiata cyclos
Matris electæ videant peroſi
Signa clientes.
Zoili nec vos acuatis acres
Dentium morſus ſed ametis hymnos
Alta ſpiranres lepidumque carmen
Ore ſinatis.
Nulla doctrinæ ſpecies refulget
Abditæ: nullum renitet iuuamen
Vllius tandem niſi temperato
Splendeat vſu.
Viuis, extentum celebris per æuum
Notus in fratres animo ſagaci,
Auget hunc pennâ metuente ſolui
Fama ſuperſtes.

Sub Felicibus Auſpicijs.

Magnifici & Adm. Rdi. Dni.

IACOBI VITELLII,

Sacræ Theol: Sententiarij ac Pro-feſſoris Canonici S. Floriani Coll. Vladiſla-uiani Prouiſoris, Almæ Academiæ Crac. ſtudij Generalis.

RECTORIS.

Vigilantiſsimi.

In Stemma Almæ Academiæ Cracouienſis.



Sceptra Crucem referunt: Crux Sceptra nitentia ſignat,
Crux terret ſtygios. Zoile Sceptra time.



CRACOVIÆ,
In Officinâ Valeriani Piątkowski.